An. et vol. XXXIV 13 Aprilis 1942 (Ser. II, v. IX) - Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Litterae Apostolicae, p. 89 - Epistulae, p. 93.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Proscriptio librorum, p. 100 - *S. C. Consistorialis*: Designationes, p. 100 - *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Approbatio, p. 101 - *S. C. Concilii*: Resolutio, p. 101 - *S. C. de Propaganda Fide*: Provisio Ecclesiarum, p. 104 - *S. C. Rituum*: I, II. Decreta liturgica, 105.

Acta Officiorum: *Dataria Apostolica*: Instructio, p. 113.

Diarium Romanae Curiae: Segreteria di Stato: Nomine, 119.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, *L. it.* 70 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4,50 extra Italiam, *L. it.* 6 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXIV, n. 4 - 13 Aprilis 1942

ACTA PII PP. XII

LITTERAE APOSTOLICAE

PAG.

I. *Ad Deum per rerum naturae.* - Sanctus Albertus Magnus, Episcopus Confessor atque Ecclesiae Doctor, Cultorum Scientiarum naturalium coelestis Patronus declaratur. - *16 Decembris 1941* 89

II. *Dioecesis Sinaloensis.* - Templum paroeciale expiatorium de Mazatlan, intra fines Sinaloensis dioecesis, Immaculatae Virgini dicatum, honoribus Basilicae Minoris insignitur. - *25 Ianuarii 1942* 91

EPISTULAE

I. *Quinque propediem lustra.* - Ad Em̃um P. D. Adolfum tit. Sanctae Agnetis extra moenia S. R. E. Presb. Cardinalem Bertram, Archiepiscopum Wratislaviensem, abhinc XXV annos ad supremum Ecclesiae Senatum cooptatum. - *21 Novembris 1941* 93

II. *Saeculo revoluto tertio.* - Ad Revm̃um D. Petrum Boisard, Societatis Presbyterorum a S. Sulpitio vicaria potestate Moderatorem Generalem: tertio exeunte saeculo ab eadem Societate condita. - *28 Februarii 1942* . . 94

III. *Quandoquidem qui sacris humanisque disciplinis.* - Ad Revm̃um P. Martinum Stanislaum Gillet, Ordinis Fratrum Praedicatorum Magistrum Generalem: de S. Thoma Aquinate catholicarum omnium scholarum Patrono, deque S. Alberto Magno physicarum disciplinarum cultorum Praestite nuper dato. - *7 Martii 1942* . . 96

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

PAG.

Decretum. Proscriptio libri. - *23 Martii 1942* 100

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Designationes pro appellatione 100

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

Approbatio 101

SACRA CONGREGATIO CONCILII

Tridentina. - Resolutio. Iuris funerandi. - *13 Iulii 1941* 101

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Provisio Ecclesiarum 104

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Urbis et Orbis.* - Decretum. Commune unius aut plurium Summorum Pontificum in Breviario et Missali Romano inserendum. - *9 Ianuarii 1942* . 105

II. *Urbis et Orbis.* - Decretum. De lampade Ssm̃i Sacramenti et de luminibus in sacris functionibus adhibendis. - *13 Martii 1942* 112

ACTA OFFICIORUM

DATARIA APOSTOLICA

Instructio. De observandis a Revm̃is Ordinariis quum ab Apostolica Dataria collationem petant beneficiorum non consistorialium, quae ad normam iuris Apostolicae Sedi sint reservata vel devoluta - *1 Ianuarii 1942* . . . 113

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Segreteria di Stato: *Nomine* 119

An. et vol. XXXIV 13 Aprilis 1942 (Ser. II, v. IX) – Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE APOSTOLICAE

I

SANCTUS ALBERTUS MAGNUS, EPISCOPUS CONFESSOR ATQUE ECCLESIAE DOCTOR, CULTORUM SCIENTIARUM NATURALIUM COELESTIS PATRONUS DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Ad Deum per rerum naturae cognitionem Sanctus Albertus Magnus Episcopus Confessor atque Ecclesiae Doctor *ad laudem Dei Omnipotentis, qui fons est sapientiae et naturae sator et institutor et rector* (*Physica*, l. I, tr. 1, c. 1) ascendere conatus, omnes sui temporis scientias sive quod ad sacra sive quod ad profana spectantes percipere contendit in eisdemque ita mirabiliter versatus est ut *stupor mundi* ac *doctor universalis* ab ipsismet aetatis suae scriptoribus tanta doctrina attonitis nuncupari meruerit. Enimvero praeter theologiam, philosophiam ac Scripturarum interpretationem, quibus tali studio ac sollertia operam dedit, ut paucissimi illius scientiam adaequarent, ad dissensionem inter Fidem ac Rationem tollendam, quam simulato suo de duplici veritate effato quidam eo ipso tempore philosophi in Studiorum Universitates inducebant, Sanctus Doctor, quoniam Dei *invisibilia... a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque Eius virtus et divinitas* (Rom. I, 20) res naturae investigandas a prima iuventute ad extremam usque senectutem acriter perattenteque aggressus est; investigatas autem posteris tradidit elaboratissimis scriptis multis, quibus historiam exquirere totius fere naturae tempore suo cognitae per omnes partes experimentali, uti aiunt,

methodo seu inductione diligenter studuit; quamvis ex tanti Magistri exemplo atque opera ob ipsas potissimum illius temporis condiciones atque instrumentorum defectum non omnes sint ii fructus percepti, qui iam tunc sperari potuissent. Nam si quae magnus Episcopus Ratisbonensis de experimenti necessitate, de sagaci observatione, deque momento inductionis ad veritatem circa naturae res assequendam statuit, ea iam recte aevo suo intellecta et perducta ad effectum fuissent, mirabiles illi scientiarum progressus, quibus recentiora ac nostra tempora gloriantur, multa ante saecula fortasse reperti et cum optimo societatis humanae emolumento stabiliti fuissent. Nil mirum itaque si non modo ex Italia, sed tam e Germania, et Gallia et Hungaria, quam e Belgio atque Hollandia, nec non ex Hispaniis et America, Insulisque etiam Philippinis Studiorum Universitates et Conlegia Catholica praecipua una cum multis physicarum naturaliumque rerum professoribus nunc Albertum Magnum tanquam lucernam in caliginoso mundo contueantur, Illumque, qui iam tempore suo, quo multi oculos suos a spiritualibus rebus avertebant inani verborum scientia inflati, a terrenis e contra ad coelestia gradatim ascendendum esse exemplo docuit, suorum ipsorum ducem habere et coelestem intercessorem exoptent, ne in sua exacta naturae perscrutandae scientia Dei Omnipotentis auxilium eis desit. Quapropter ultro libenterque placet Nobis excipere vota tum a Catholicis Academicis nuper Treviris coadunatis, tum a Studiorum Universitatibus ceterisque scientiarum Coetibus internationalibus expressa, quae Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum Magister valide Nobis significavit, suas quoque preces atque Ordinis cui praeest enixas addens, ut coelestem Cultorum Scientiarum naturalium Patronum Nos eundem Sanctum constituere dignemur. Decimo sane anno a Litteris Decretalibus die XVI m. Decembris an. MCMXXXI datis, quas Decessor Noster rec. mem. Pius Pp. XI edidit ad Sancti Alberti Magni Pontificis Confessoris cultum, addito Doctoris titulo, universae Ecclesiae praecipiendum, plane convenit, prout supremum Nostrum spirituale exigit officium, huiusmodi valde opportunum inceptum fovere: ob tristissimam quoque nostrorum dierum condicionem; cum non ad Dei laudem atque hominum salutem sed ad belli calamitates civilibus regionibus urbibusque inferendas nunc hodierni scientiarum progressus misere adhibeantur. Ipse Sanctus Albertus, qui difficillimis temporibus opera sua mirabili monstravit scientiam ac Fidem in hominibus concorditer vigere posse, valida sua apud Deum intercessione, Cultorum scientiarum excitet corda mentesque ad pacificum rectumque naturae rerum usum, quarum leges a Deo constitutas scrutantur et quaerunt! Conlatis igitur de hac re consiliis cum Venerabili Fra-

tre Nostro Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque mature perpensis, praesentium Litterarum tenore deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, perpetuumque in modum Sanctum Albertum Magnum Episcopum Confessorem et Ecclesiae Doctorem Cultorum Scientiarum naturalium coelestem apud Deum *Patronum* declaramus et constituimus, privilegiis honoribusque additis, quae huiusmodi coelestis patronatus propria sunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugitur exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVI m. Decembris MCMXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

II

TEMPLUM PAROECIALE EXPIATORIUM DE MAZATLAN, INTRA FINES SINALOENSIS DIOECESIS, IMMACULATAE VIRGINI DICATUM, HONORIBUS BASILICAE MINORIS INSIGNITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Dioecesis Sinaloensis intra fines templum exstat paroeciale in honorem Beatae Mariae Virginis Immaculatae Deo dicatum, quod tamquam conspicuum monumentum sacrum non modo civitatis « Mazatlan » nuncupatae, in qua positum est, verum etiam finitimae regionis illius amplissimae recte habetur, ita ut Expiatorium quoque templum Sanctissimi Sacramenti pro tota ecclesiastica provincia de Durango abhinc paucos annos renuntiatum sit. Templum idem, quamvis fere temporibus fundationis memoratae civitatis suam originem repetat, ac saeculo nono decimo restauratum sit, postea, gravibus rerum temporumque condicionibus fortiter superatis, ampliatum etiam decoratumque est, atque anno millesimo nongentesimo tricesimo octavo, Episcopis sex adstantibus multisque presbyteris nec non ingenti christifidelium numero, sollemniter consecratum est. Tribus ipsa sacra aedes constat navibus, quae statuis altaribusque e marmore picturisque egregiis

magnifice exornatae admirationem movent omnium, qui non solum e Republica Mexicana sed a finitimis quoque regionibus ad ecclesiam eandem confluunt; generosa quidem stipe fidelium, pietatis causa erga Deiparam Immaculatam, ingentes tanti operis sumptus facti sunt. At non modo pecunia sua cives devotionem cultumque erga Beatissimam Virginem Eiusdemque Sanctuarium ostendunt, sed etiam morum civitatis reformatione, quam clerus populusque, praeeunte Episcopo, obtinendam, adversus spectacula profana ceterosque huiusmodi usus sollerter pugnantes, curant; ac praeterea frequentes sacris devote adstant functionibus divinisque mysteriis quae eodem in templo per annum splendore haud communi sollemniter peraguntur. Haec animo repetentes, cum Venerabilis Frater Sinaloensium Episcopus Nos flagitet pro eodem templo paroeciali Expiatorio de Mazatlan, Immaculatae Virgini dicato, titulum atque honorem Basilicae Minoris, hasque preces commendationibus suis amplissimis Noster quoque in Mexicanis regionibus Apostolicus Delegatus augeat, Nos, vestigiis secuti praedecessores Nostros, qui benevolentiae suae pignore Marialia templa iugiter prosequuti sunt eademque privilegiis libenter honestarunt, quae cultum quoque ac affectum populi erga Dei Matrem quoquo modo promoverent, supplicationibus memoratis annuendum censemus. Qua re conlatis etiam consiliis cum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino Sacrorum Rituum Congregationi praeposito, apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, ecclesiam paroecialem de « Mazatlan » Immaculatae Virginis in honorem intra fines Sinaloensis dioecesis Deo dicatam ad titulum ac dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus illique iura ac privilegia liturgica tribuimus, quae huic titulo rite competunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec benigne concedimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV m. Ianuarii, an. MCMXXXXII, Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

EPISTULAE

I

AD EM̃UM P. D. ADOLFUM TIT. SANCTAE AGNETIS EXTRA MOENIA S. R. E. PRESB. CARDINALEM BERTRAM, ARCHIEPISCOPUM WRATISLAVIENSEM, ABHINC XXV ANNOS AD SUPREMUM ECCLESIAE SENATUM COOPTATUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quinque propediem lustra absolventur, ex quo Decessor Noster ven. mem. Benedictus XV temet ipsum, nomine sibi in pectore reservato, ad amplissimum purpuratorum Patrum ordinem cooptavit. Huiusmodi honorificentissimae promotionis commemoratio opportunam Nobis affert occasionem Nostram erga te existimationem ac benevolentiam confirmandi animumque solandi tuum, tot rerum asperitates atque amaritudines expertum. Hoc enim temporis intervallum, inter duo teterrima bella orbem terrarum permiscentia veluti circumscriptum, tanto humani generis sanguine atrociter effuso madescit, tot lacrimis luctibusque miserandum in modum distinguitur ac notatur. Attamen, quo vehementius saeviit iniquitas temporum graviorque facta est rei catholicae in Germania condicio, eo flagrantius sollicitudo tua pastoralis exspatiata est. Omnia profecto tua studia, omnem operam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in grege tuo conformando, alendo, roborando indesinenter fixisti atque collocasti. Nos igitur, qui istorum operum laborumque tamdiu fuimus veluti testes ac spectatores, quique pastoralem sollertiam ac navitatem maximi facimus, de proxima faustitate tibi etiam atque etiam gratulamur, simulque Deum clementissimum precamur, ut incolumem te vegetumque seros servet in annos, supernis donis fructibusque amplissimis cumulatos. Quo interea iucundi eventus celebratio sollemnior evadat, tibi ultro potestatem damus, ut, constituta die, post Sacrum pontificali ritu peractum, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam iisdem indulgentiam proponens, suetis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Caelestium quidem gratiarum praenuntia et conciliatrix peculiarisque caritatis Nostrae testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, Auxiliari tuo Episcopo, itemque clero ac populo tuae curae demandato amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXI mensis Novembris, in Praesentatione Beatae Mariae Virginis, anno MDCCCCXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

II

AD REVM̃UM D. PETRUM BOISARD, SOCIETATIS PRESBYTERORUM A S. SULPITIO VICARIA POTESTATE MODERATOREM GENERALEM : TERTIO EXEUNTE SAECULO AB EADEM SOCIETATE CONDITA.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Saeculo revoluto tertio, ex quo piissimus sacerdos Ioannes Iacobus Olier Institutum vestrum meditato consilio condidit, quamvis praesentium rerum angustiae suspensos ac trepidos omnium animos teneant, ac vel ipsa gaudia, quae superna luce radiantur, quadam videantur obtendere maestitiae nube, omnino tamen consentaneum est, ut vos faustum eventum laetabundi recolatis, ac grata recordatione coram Deo celebretis. Nos vero, qui ut filiorum tristia, ita festiva paterno animo participamus, has cupimus saeculares celebrationes, quasi praeeundo, per has litteras vobiscum communicare. Idque eo libentius facimus, quod suavis e mente Nostra non excessit illorum dierum memoria, quos in Romana sede transegimus rebus Instituti vestri procurandis destinata, cum, ter subinde spiritualibus vacantes exercitiis, ad sacros Maiores Ordines suscipiendos trepidum sed Deo fidentem animum apparabamus Nostrum; atque adeo grata semper erga vos studiosaque afficimur voluntate. Considerantibus autem Nobis Societatis vestrae exordia, illud imprimis elucet ac summa cum delectatione menti Nostrae affulget, numquam Catholicae defuisse Ecclesiae, numquam deesse, atque numquam esse in posterum defuturos lectissimos excelsosque viros, qui praecipuas suorum temporum necessitates pernoscentes ac meditantes, ad iisdem occurrendum toto pectore volentique animo nitantur. Iamvero saeculo ineunte septimo decimo, cum gravissima Episcopis demandata cura esset, ut ad normam Sacrae Tridentinae Synodi in sua quisque Dioecesi collegium pro facultate constituerent, quod « ministrorum Dei perpetuum seminarium esset » (cf. Sess. XXIII, c. 18, *De Ref.*), nulla re magis videbatur indigere Ecclesia, quam piissimis sacerdotibus, qui sana doctrina instructi divinaque exardescentes caritate, ad succrescentem iuvenem clerum rite sancteque instituendum se totos dederent. Quo quidem laudabili proposito ductus conditor vester, cum diu multumque hanc summae gravitatis causam perpendisset, collatis etiam consiliis cum prudentibus sanctisque viris; cumque a caelestium donorum datore Deo supernum lumen supplici prece petiisset, presbyterorum Societatem instituit, quibus praecipuum hoc esset concreditum munus. Ac vobis profecto cognitum est quot uberes

fructus, divina suffragante gratia, inde evenerint in adaugendam Dei gloriam animarumque salutem. Siquidem non modo per Galliam, sed per Canadensem etiam regionem, per Foederatas Septentrionalis Americae Civitates, et in longinquas quoque terras ab Evangelii praeconibus excultas, Societas vestra salutari cum adulescentium sacricolarum profectu Ecclesiaeque emolumento se feliciter propagavit. Pergite igitur, ut facitis, sanctissimum inceptum persequi. Nostis enim quam grandis sit quamque excelsa catholici sacerdotii dignitas. Siquidem « inter divinam et humanam naturam sacerdotium velut medium interiectum est ut illam colat atque observet, hanc autem in melius commutet » (S. Isidorus Pelus., *Epist.* III, 20; *MG.*, 78, 476 C). Ac nostis imprimis quantopere intersit eos, qui divino instinctu ad sacra sint capessenda munia vocati, ita edoceri ac conformari, ut divinae sapientiae evadant christianaeque virtutis magistri. Nostis praeterea a Romanis Pontificibus summam semper in Seminariis fuisse curam collocatam, « quorum cum statu fortuna Ecclesiae coniungitur maxime » (Leo XIII, Epist. *Paternae providaeque, A. L.*, vol. 19, p. 194). Neque profecto ex memoria vestra monita illa excessere sapientissima, quae proximus Decessor Noster fel. rec. Pius XI per Encyclicas Litteras *Ad catholici sacerdotii* (*A. A. S.*, 1936, p. 5 sqq.) impertiit; ad quae quidem repetenda meditandaque studiosa vos voluntate adhortamur. Ac Nosmet ipsi, paucis exactis mensibus ab inito Pontificatu, cum in Vaticana S. Damasi aula ad alumnos, qui ex omni gente in alma hac Urbe ad sacra instituuntur, verba fecimus, paternum Nostrum aperientes animum haec inter alia diximus, quae tantopere, ut videtis, ad peculiare Instituti vestri munus pertinent: « Ecce catholici sacerdotii assignatum propositum: solem esse supernaturalem, qui hominum mentes veritate Christi illustret, eorumque animos inflammet amore Christi. Huic autem fini assignatoque proposito omnis etiam ad sacerdotium praeparatio ac conformatio respondeat oportet » (*A. A. S.*, 1939, p. 246). At nostis etiam operam vestram inanem fore, neque supernos posse edere fructus, nisi animus cuiusque vester ita antea evangelico spiritu enutritus foveatur et ardeat, ut alumnis vobis creditis in exemplum praeluceat. Quamobrem piissimus conditor vester, cum « de pietate Seminarii S. Sulpitii » scriberet, gravissimam hanc sententiam initio posuit: « Primarius et ultimus finis huius Instituti erit vivere summe Deo in Christo Iesu Domino Nostro (Rom., VI, 11), ita ut interiora Filii eius intima cordis nostri penetrent, et liceat cuilibet dicere quod Paulus fiducialiter de se praedicabat: *Vivo... iam non ego; vivit vero in me Christus* (Gal., II, 20). Haec erit una omnium spes et meditatio, unicum exercitium, vita vivere Christi interius, eam-

que operibus manifestare in nostro mortali corpore (cf. II Cor., IV, 10) » (Opusculum *Pietas Sem. S. Sulp.*, p. 1-2). Si igitur, ut futurum omnino confidimus, sapienti hac via rationeque, auspice B. V. Maria, ducemini in ecclesiastica vestra vestratumque conformatione adipiscenda, messem procul dubio uberiorem usque metetis sanctissimarum frugum. Hoc est paternum omen ac votum, quod Nos saeculari hac vestra celebritate facimus, Deoque efficiendum supplici prece commendamus; dum caelestium conciliatricem munerum Nostraeque benevolentiae testem, tibi, Dilecte Fili, singulis istius Societatis sacerdotibus, cunctisque sacricolis vestro regimini demandatis, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis Februarii, anno MDCCCCXXXXII, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

III

AD REVM̃UM P. MARTINUM STANISLAUM GILLET, ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM MAGISTRUM GENERALEM : DE S. THOMA AQUINATE CATHOLICARUM OMNIUM SCHOLARUM PATRONO, DEQUE S. ALBERTO MAGNO PHYSICARUM DISCIPLINARUM CULTORUM PRAESTITE NUPER DATO.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quandoquidem qui sacris humanisque disciplinis dant operam multum multumque valent in ceterorum hominum dirigendam ordinandamque vitam, atque ex incorruptae doctrinae probitate gignitur cum privatorum, tum publicorum morum probitas, idcirco Romanis Pontificibus de lectissimis illis viris maxima semper cura est, qui, optimarum cuiusvis generis artium studiis dediti, humanae consortionis itineri quasi praelucere videantur. Hac de causa, ut nosti, sapientissimus Decessor Noster fel. rec. Leo XIII anno MDCCCLXXX per Apostolicas Litteras *Cum hoc sit* (*A. L.*, vol. II, p. 108) Thomam Aquinatem, « qui doctrina et virtute, solis instar, semper eluxit » (*A. L.*, vol. II, p. 108), caelestem catholicarum omnium scholarum Patronum declaravit atque constituit, eumdemque peculiari modo tutelarem dedit philosophicae ac Theologicae sapientiae praestitem, ducem atque magistrum. Nos vero nuperrime, percupientes admodum ut ii quoque, quorum est naturae secreta laboriose

rimando speculari, caelesti tutela ne carerent, Albertum Magnum, Doctorem sanctissimum aeque ac doctissimum, physicarum disciplinarum cultoribus Patronum per Apostolicas item Litteras (*Ad Deum,* d. d. 16 Dec. 1941) impertivimus. Ita quidem ut qui in mortalis huius vitae cursu fuere studiorum officiorumque consuetudine sibi invicem coniunctissimi, iidem, sempiterna quoque beatitate fruentes, eorum omnium pro suo quisque munere patrocinium agant, qui ad humanam divinamque sapientiam adipiscendam operose contendant. Uterque fuit, ut omnes norunt, Dominicianae familiae decus; uterque doctrinae ac virtutis luminibus praefulgens. Angelicus siquidem Communisque (cf. Litt. Enc. *Studiorum Ducem, A. A. S.,* 1923, p. 314) Doctor Aquinas eos omnes, qui e superioribus aetatibus defluxerant sapientiae rivulos veluti mare in se recipiens, quidquid philosophando lucubrandoque humana ratio attigerat, id universum miro ordine luculentaque perspicuitate digestum superna luce ex Evangelio radiante ita composuit ordinavitque, ut reapse « facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi potestatem ademisse videatur » (*A. L.,* vol. II, p. 110). Ac non modo divi Thomae doctrina ad veteres profligandas haereses aptissima evadit, atque adeo « fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum » (cf. Litt. Enc. *Aeterni Patris, A. L.*, vol. I, p. 263) exstat, sed ad pervincendos quoque errores, perpetua vice renascentes novitatisque specie fucatos arma praebet validissima. Ut igitur omnes, quotquot catholicas cuiusvis generis scholas celebrant, Thomam Aquinatem caelestem Patronum colere, revereri atque imitari debent, ita ii potissimum, qui in philosophicis ac theologicis studiis exercentur, ac nominatim sacrorum alumni, qui, ad sacerdotium divinitus vocati, in spem Ecclesiae adolescunt, eumdem ducem atque magistrum sequantur oportet (cf. *C. I. C.,* can. 1366, 2); probe animo retinentes « in doctrinis Thomisticis eximiam quamdam inesse praestantiam, et ad sananda mala, quibus nostra premitur aetas, vim virtutemque singularem » (*A. L.*, vol. II, p. 109). At quemadmodum Angelicus Doctor hoc sibi proprium praecipuumque habet ut ea universa, quae ad divinam humanamque vitam pertinent, quaestionesque omnes, quae id respectent, luce sumpta de caelo illuminet ratiocinandoque collustret, et quidquid philosophia attigerat, in summam redigens, miro ordine componat ac coagmentet, ita eius magister Albertus Magnus videtur potius ex exploratis ac cognitis naturae viribus ad philosophicae sapientiae vertices ad ipsumque supernae scientiae fastigium ascendere; atque eo prae primis contendit ut ex uberrimis physicarum disciplinarum promptuariis utilia arma depromat ad catholicam tuendam veritatem. Hic scilicet, in hisce quoque artibus egregie versatus,

earum studio pro suae aetatis condicionibus singulariter enituit; ita quidem ut « de animalibus », « de vegetalibus et plantis », « de natura locorum », « de mineralibus », « de meteoris » de aliisque naturae rebus erudite scriberet. Attamen « disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putabat » (cf. Cic., *Tusc.*, II, c. 4); ac dum acri mentis suae acie summaque animi delectatione arcana naturae secreta speculabatur, in amplius et excelsius intellegendarum rerum efferebatur spatium, et ad supremum Artificem omnium Moderatoremque evectus, Eumdem defessa pronaque fronte adorando reverebatur. Perspectam enim Apostoli gentium sententiam habebat: « Invisibilia... ipsius (Dei) a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas » (Rom., I, 20); itemque pulcherrimum Psaltis hymnum: « Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum » (Ps. 18, v. 2). Ob hanc igitur suam pervestigandi rationem, cum de physicarum rerum studiis ageret, haec inter alia habet: « Et ideo etiam nos tractando de partibus philosophiae, primo complebimus, Deo iuvante, scientiam naturalem, et deinde loquemur de mathematicis omnibus, et intentionem nostram finiemus in scientia divina » (*Physicorum* lib. I, tr. I, c. I in fine). Hac Nos potissimum de causa, Dilecte Fili, eum voluimus physicarum disciplinarum cultorum Patronum deligere atque decernere, ut nimirum, dum iidem cultores Praestitem sibi datum eum recolant, vestigiis eius insistentes, caducis huius vitae rebus scrutandis non tam penitus haereant, ut animum quisque suum ad immortalia natum obliviscantur, sed spectatae res quasi gradus eis in adscensum pateant, per quos ad caelestia intellegenda ac potiunda summo gaudio evehantur. In omnibus naturae viribus praesens Dei numen cernant, eiusque incorruptos splendoris radios speculabundi ac venerabundi mirentur. In suavi fragilique florum specie summam Dei pulchritudinem agnoscant; in tumescentibus maris fluctibus eius revereantur potentiam; et sicut in concordibus mirandisque astrorum choreis, quae per infinita caeli spatia superno nutui obtemperant, ita in secretis microcosmi latebris, quas armata introspicit oculorum acies, creatricem adorent ac venerentur aeternamque sapientiam. Quodsi etiam, ut Thomas Aquinas, ut Albertus Magnus, didicerint omnem ab se acquisitam doctrinam in nobilissimum dirigere supernae veritatis famulatum, tum procul dubio experientur divinae lucis nitorem, animo exceptum, non humanae rationis lumen offendere, sed ipsam potius dilatare atque augere intellegentiam, cui non modo nihil de dignitate detrahitur, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum additur (cf. Litt. Enc. *Aeterni Patris*, *A. L.*, vol. I, p. 265). Haec Nobis, di-

lecte Fili, tecum communicare libuit, qui universam moderari Dominiciani Ordinis familiam, in cuius quidem decus uterque cessit sanctissimus Doctor. Ac liceat Nobis, hac occasione data, non tam vobis gratulari de magnis hisce promeritis adeptis in Catholicam Ecclesiam et in humanae divinaeque scientiae progressionem, quam vos paterno adhortari animo ut et praeclara eiusmodi exempla, quasi sacra hereditate accepta, alacri voluntate sequamini, et novos etiam atque etiam sapientiae sanctitatisque fructus edatis, qui veteres glorias renovent atque aemulentur. Ac caelestium interea esto munerum auspex Nostraeque benevolentiae testis Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili, cunctoque Dominiciano Ordini amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VII mensis Martii, in festo S. Thomae Aquinatis, anno MDCCCCXXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 18 Martii 1942

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii Emi ac Revmi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

OTTO KARRER, *Gebet, Vorsehung, Wunder.*

Et sequenti Feria V, die 19 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII in solita audientia Excmo ac Revmo D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 23 Martii 1942.

I. Pepe, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DESIGNATIONES PRO APPELLATIONE

Iuxta can. 1594 § 3 *Codicis Iuris Canonici*, Administrator Apostolicus Dioecesium Satmariensis et Magnovaradinensis Latinorum ad appellationem in secunda instantia designavit:

Tribunal archidioecesis Agriensis pro dioecesi Satmariensi;

Tribunal archidioecesis Colocensis pro dioecesi Magnovaradinensi Latinorum.

Quas designationes Sacra Congregatio Consistorialis die 24 Februarii 1942 adprobavit.

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

APPROBATIO

Ssmus Dominus Noster Pius div. prov. Pp. XII, decreto S. C. pro Ecclesia Orientali, die 14 mensis Februarii anni 1942, Constitutiones Congregationis *Sororum Aegyptiarum indigenarum, a Corde Iesu* nuncupatae, alexandrini ritus, adprobavit et confirmavit.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

TRIDENTINA

IURIS FUNERANDI

Die 5 Iulii 1941

SPECIES FACTI. – In civitate vulgo *Arco*, Tridentinae Archidioecesis, una exstat paroecia sub titulo S. Mariae quae est simul collegialis, in qua cura animarum ab archipresbytero parocho, adiuto a Capitulo collegiali et a duobus vicariis cooperatoribus non beneficiariis, praesertim in urbe exercetur. Paroecia autem praeter urbem constat quoque decem suburbiis seu pagis, *frazioni* nuncupatis, quorum quinque, paroeciae proximiora, immediate archipresbyteri parochi iurisdictioni subsunt, cetera quinque, a paroecia remotiora, mediate tantum eidem subsunt.

In quinque suburbiis paroeciae proximioribus operam praestant cappellani qui appellantur *missarii*, sub archipresbyteri parochi immediata et directa auctoritate, quibusdam tantum facultatibus et per modum actus praediti, dum in quinque suburbiis a paroecia remotioribus curam animarum gerunt cappellani qui *curati* vocantur, archipresbyteri parochi iurisdictioni mediate et indirecte subiecti, quippe qui omnibus facultatibus paroecialibus sint praediti, ab eodem archipresbytero semel et pro semper in actu ipsorum nominationis concessis.

Praeterea in duobus ex his suburbiis remotioribus sunt duo conventus Fratrum Minorum et Minorum Capuccinorum.

Modo autem archipresbyterum una cum Capitulo collegiali inter et

memoratos hos conventus quaestio orta est de interventu ad funera, quae persolvuntur sive in urbe sive in suburbiis praesertim remotioribus.

De quibus tamen funeribus hoc animadvertendum est quod sunt funera quae dicuntur *generalia,* de quibus nulla est quaestio, cum his interveniant clerici tum saeculares tum religiosi utriusque conventus ad normam quoque art. 1 Statuti capitularis statuentis: « Ai funerali gene« rali ... intervengono tutti i sacerdoti della parrocchia nonchè il clero « regolare dei due conventi ».

At quaestio praecise vertitur circa funera quae dicuntur *partialia,* quibus sive in urbe sive in suburbiis, post archipresbyterum vel eius vices gerentem, Religiosi Franciscales et Capuccini ius sibi vindicant interveniendi prae ceteris sacerdotibus saecularibus, qui in paroecia operam praestant, si a familia vel heredibus defuncti invitentur. Contendunt enim non sustineri art. 7, cap. 13 Statuti capitularis praescribentis: « Per i « funerali (nempe *partialia*) che hanno luogo nelle chiese *filiali* (in de« cem nempe suburbiis), nel caso che, oltre ai sacerdoti della frazione « si invitassero altri sacerdoti, sarà da dare la preferenza nell'invito « d'intervenire ai cappellani ed ai canonici, prima che ai sacerdoti del « clero regolare ».

ANIMADVERSIONES. – Canon 1233 § 1 Codicis I. C. ad funera quod attinet, inter alia, haec statuit: « Clerici ... ipsi ecclesiae addicti prae aliis « omnibus invitari debent ». Quaenam autem sit ecclesia de qua agitur in canone, nullum est dubium quod in primis sit ecclesia paroecialis in qua funus peragitur ad normam canonum 1216 et 1217 C. I. C. Quinam autem sint clerici ipsi ecclesiae addicti, eos in primis recensendos esse videtur, qui eidem ecclesiae paroeciali saltem inserviant, et in qua aliquod officium praestent, quod curae animarum intersit. Iamvero Religiosi Franciscales et Capuccini dici nequeunt ecclesiae paroeciali et collegiali urbis *Arco* addicti, cum eidem non inserviant; ecclesiae enim, sive in urbe sive in suburbiis ibi exstantes, omnes sunt ecclesiae saeculares et a clero saeculari reguntur.

Eo vel magis quia Pontificia Commissio ad canones Codicis I. C. authentice interpretandos in responso diei 8 Aprilis 1941 denegavit inter clericos ecclesiae addictos, de quibus in canone 1233 § 1, comprehendi capitulares, qua *tales,* seu reduplicative sumptos, ea praesertim ratione quod Capitulum per se, ad normam canonis 391 § 1, « ideo institutum est « ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat ... ».

Ex quo responso erui posse videtur clericos ecclesiae addictos eos tantum spectari posse, qui curam animarum in eadem ecclesia exercent

sub parochi auctoritate. Excludendi proinde Religiosi utriusque conventus, utpote nullam animarum curam tum in ecclesia paroeciali urbis *Arco* tum in eiusdem filialibus gerentes.

E contra constat curam animarum ibidem exercere, praeter archipresbyterum una cum duobus vicariis cooperatoribus non beneficiariis, capitulares quoque ecclesiae collegialis ex praescripto Statutorum capitularium in capite 11: « Obbligo dei canonici per la cura delle « anime: 1) i canonici della collegiata sono sacerdoti ausiliari nella cura « delle anime, dati in aiuto all'arciprete investito della parrocchiale giu- « risdizione; 2) sono perciò tenuti ad ascoltare le confessioni, a visitare « gli infermi, ad assistere ai divini uffici, a catechizzare; in generale a « tutti i doveri inerenti alla cura d'anime ».

Quapropter iidem capitulares, non qua capitulares, sed qua vicarii cooperatores archipresbyteri, habendi sunt uti clerici ecclesiae paroeciali addicti, ac proinde prae Religiosis utriusque conventus invitandi ad funera. Idem dicendum de cappellanis, sive missariis sive curatis in suburbiis, cum omnes, immediate vel saltem mediate, tamquam vicarii cooperatores, curae animarum vacent sub archipresbyteri auctoritate in una eademque paroecia ad normam canonis 476 § 2: « Vicarii enim « cooperatores constitui possunt non solum in universa paroecia, sed « etiam pro determinata paroeciae parte ».

Nec relevat quod Statutum capitulare per se non constituat legem dioecesanam, quia, accedente Episcopi approbatione, ius saltem facit non solum pro Capitulo, sed pro omnibus qui cum Capitulo partes quoquo modo habent. Ceterum praescripta in Statutis capitularibus, de quibus agitur, congrua omnino videntur iuri communi, vi cuius saltem vim obligandi obtinent.

Denique immorandum non est in distinctione a memoratis Religiosis invecta inter clerum officiantem et clerum orantem, qua ipsi prae ceteris quoque clericis ad funera invitandi essent, cum haec distinctio absona omnino sit a iure et nullo rationabili fundamento suffulta.

Resolutio. – Proposito itaque in Comitiis Plenariis diei 5 Iulii 1941 dubio: *An sustineatur caput XIII Statuti ecclesiae collegialis loci* Arco *diei 14 Aprilis 1925, funera quod spectat;*

Emi Patres huius Sacrae Congregationis responderunt: *Affirmative.*

Quam resolutionem Ssmus D. N. Pius Pp. XII in Audientia diei 13 Iulii 1941, referente subscripto Secretario, approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

PROVISIO ECCLESIARUM

Singulis, ut infra, datis decretis Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando, Ssmus D. N. Pius div. Prov. Pp. XII dignatus est sequentes providere Ecclesias, nimirum:

die 16 Octobris 1941. — Titulari episcopali Ecclesiae Lauzadenae praefecit R. P. Iacobum Hubertum Goumans, Ordinis Sanctae Crucis seu Crucigerorum, hactenus Praefectum Apostolicum de Bandoeng, quem Vicarium Apostolicum Bandungensem seu de Bandoeng constituit.

— Titulari episcopali Ecclesiae Eleutheropolitanae in Palaestina R. P. Michaëlem Verhoeks, Congregationis Missionis sodalem, hactenus Praefectum Apostolicum de Soerabaja, quem constituit Vicarium Apostolicum Surabaiensem seu de Soerabaja.

die 25 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Osakaensi R. D. Paulum Yoshigoro Taguchi, e clero saeculari iaponensi, hactenus Administratorem Apostolicum eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Sendaiensi R. D. Michaël Wasaburo Urakawa e clero saeculari iaponensi, hactenus Administratorem Apostolicum eiusdem dioecesis.

die 23 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Ballaratensi Exc. P. D. Iacobum O'Collins, hactenus Episcopum Geraldtonensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Rhodopolitanae R. P. Iosephum Baud, e Congregatione Missionariorum S. Francisci Salesii ab Annecio, Vicarium Generalem dioecesis Vizagapatamensis, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Petri Rossillon, Episcopi eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Midaënsi R. P. Ioannem Livinum Iosephum Sion, Societatis Parisiensis Missionum ad exteras gentes presbyterum, quem constituit Vicarium Apostolicum de Kontum.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

1

COMMUNE UNIUS AUT PLURIUM SUMMORUM PONTIFICUM

INSERENDUM

IN COMMUNI SANCTORUM

POST COMMUNE EVANGELISTARUM

Omnia de Communi unius aut plurimorum Martyrum vel Confessoris Pontificis, juxta qualitatem festi, præter sequentia:

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum N. ... (Mártyrem tuum atque) Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Si vero agenda sit commemoratio alterius Summi Pontificis, dicitur sequens

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam in apostólicæ petræ soliditáte fundátam, ab infernárum eruis terróre portárum: præsta, quǽsumus, ut intercedénte beáto N. ... (Mártyre tuo atque) Summo Pontífice, in tua veritáte persístens, contínua securitáte muniátur. Per Dóminum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio VII *Cap. 16, 13-19*

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homilía sancti Leónis Papæ

Sermo 2 in anniversario assumpt. suæ, ante medium

Cum, sicut evangélica lectióne reserátum est, interrogásset Dóminus discípulos, quem ipsum (multis divérsa opinántibus) créderent; respondissétque beátus Petrus, dicens: Tu es Christus Fílius Dei vivi; Dóminus ait: Beátus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sánguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cælórum: et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis. Manet ergo dispositio veritátis, et beátus Petrus, in accépta fortitúdine petræ persevérans, suscépta Ecclésiæ gubernácula non relíquit.

Lectio VIII

In univérsa namque Ecclésia, Tu es Christus Fílius Dei vivi, quotídie Petrus dicit; et omnis lingua, quæ confitétur Dóminum, magistério hujus vocis imbúitur. Hæc fides diábolum vincit et captivórum ejus víncula dissólvit. Hæc érutos mundo, ínserit cælo, et portæ ínferi advérsus eam prævalére non possunt. Tanta enim divínitus soliditáte munita est, ut eam neque hærética umquam corrúmpere právitas, nec pagána potúerit superáre perfídia. His ítaque modis, dilectíssimi, rationábili obséquio celebrétur hodiérna festívitas: ut in persóna humilitátis meæ ille intelligátur, ille honorétur, in quo et ómnium pastórum sollicitúdo, cum commendatárum sibi óvium custódia persevérat, et cujus etiam dignitas in indígno heréde non déficit.

Lectio IX

Cum ergo cohortatiónes nostras áuribus vestræ sanctitátis adhibémus, ipsum vobis, cujus vice fúngimur, loqui crédite: quia et illíus vos affectu monémus, et non áliud vobis, quam quod docuit, prædicámus; obsecrántes, ut succíncti lumbos mentis vestræ, castam et sóbriam vitam in Dei timóre ducátis. Coróna mea, sicut Apóstolus ait, et gáudium vos estis, si fides vestra, quæ ab inítio Evangélii in univérso mundo prædicáta est, in dilectióne et sanctitáte permánserit. Nam licet omnem Ecclésiam, quæ in toto est orbe terrárum, cunctis opórteat florére virtútibus; vos tamen præcípue inter céteros pópulos decet méritis pietátis excéllere, quos in ipsa apostólicæ petræ arce fundátos, et Dóminus noster Jesus Christus cum ómnibus redémit, et beátus Apóstolus Petrus præ ómnibus erudívit.

AD MISSAM

Introitus *Joann. 21, 15-17*

Si díligis me, Simon Petre, pasce agnos meos, pasce oves meas. *Ps. 29, 1.* Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Glória Patri.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus intende: et per beátum N. ... (Mártyrem tuum atque) Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Si vero agenda sit commemoratio alterius Summi Pontificis, dicitur sequens

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam in apostólicæ petræ soliditáte fundátam, ab infernárum éruis terróre portárum: præsta, quæsumus, ut intercedénte beáto N. ... (Mártyre tuo atque) Summo Pontífice, in tua veritáte persístens; contínua securitáte muniátur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.

I Petr., 5, 1-4 et 10-11

Caríssimi: senióres, qui in vobis sunt, óbsecro consénior et testis Christi passiónum, qui et ejus, quæ in futúro revelánda est, glóriæ communicátor: páscite qui in vobis est gregem Dei, providéntes non coácte, sed spontánee secúndum Deum, neque turpis lucri grátia, sed voluntárie; neque ut dominántes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo. Et, cum apparúerit princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. Deus autem omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu, módicum passos ipse perfíciet, confirmábit solidabítque. Ipsi glória et impérium in sæcula sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 106, 32, 31. Exáltent eum in Ecclésia plebis: et in cáthedra seniórum laudent eum. ℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus; et mirabília ejus fíliis hóminum.

Allelúja, allelúja. *Matth. 16, 18.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja *et Versu sequenti, dicitur*

Tractus Ps. 39, 10-11. Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, ecce lábia mea non prohibébo: Dómine tu scisti. ℣. Justítiam tuam non

abscóndi in corde meo: veritátem tuam et salutáre tuum dixi. ℣. Non abscóndi misericórdiam tuam, et veritátem tuam a concílio multo.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur

Allelúja, allelúja. *Matth. 16, 18.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Allelúja. *Ps. 44, 17, 18.* Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 16, 13-19

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixérunt: Alii Joánnem Baptístam, alii autem Eliám, alii vero Jeremíam, aut unum ex prophétis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus, dixit ei: Beátus es, Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cælórum. Et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis.

Offertorium Jerem. 1, 9-10. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constítui te super gentes et super regna, ut evéllas et déstruas, et ædífices et plantes.

Secreta

Oblátis munéribus, quæsumus Dómine, Ecclésiam tuam benígnus illúmina: ut, et gregis tui proficiat ubíque succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres. Per Dóminum.

Alia Secreta, ut supra:

Múnera, quæ tibi Dómine lætántes offérimus, súscipe benígnus, et præsta: ut intercedénte beáto N.... Ecclésia tua et fídei integritáte lætétur, et témporum tranquillitáte semper exúltet. Per Dóminum.

Praefatio Apostolorum.

Communio Matth. 16, 18. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Postcommunio

Refectióne sancta enutrítam gubérna, quæsumus Dómine, tuam placátus Ecclésiam: ut poténti moderatióne dirécta, et increménta libertátis accípiat et in religiónis integritáte persístat. Per Dóminum.

Alia Postcommunio, ut supra:

Multíplica, quæsumus Dómine, in Ecclésia tua spíritum grátiæ, quem dedísti: ut beáti N. ... (Mártyris tui atque) Summi Pontíficis deprecatióne nec pastori obediéntia gregis nec gregi desit cura pastóris. Per Dóminum.

MUTATIONES
IN BREVIARIO ET MISSALI ROMANO FACIENDAE

Novo Communi unius aut plurimorum Pontificum, Martyrum vel Confessorum, approbato, necessario variationes quaedam in Missali et Breviario inserendae sunt. Ut autem facilius hoc eveniat, Sacra Rituum Congregatio sequentia statuit:

I - IN BREVIARIO

1. In festo alicuius Pontificis, in respectivo Communi, loco orationis de communi usque adhuc in usu, sumatur nova oratio: *Gregem tuum;* et Homilia in tertio Nocturno sit nova proposita in Evangelium: *Venit Jesus.*

2. Pro sequentibus festis haec observentur:

a) Die 16 Ianuarii: in festo S. Marcelli I Papae et Martyris: retineatur oratio propria.

b) Die 12 Martii: in festo S. Gregorii I Papae, Conf. et Eccl. Doct.: retineatur oratio propria.

c) Die 22 Aprilis: in festo Ss. Soteris et Caii Pont. et Mart.: oratio: *Gregem tuum,* adhibito numero plurali.

d) Die 26 Aprilis: in festo Ss. Cleti et Marcellini Pont. et Mart.: oratio: *Gregem tuum,* adhibito numero plurali.

e) Die 5 Maii: in festo S. Pii V Papae et Confessoris: retineatur oratio propria.

f) Die 19 Maii: in festo S. Petri Caelestini Papae et Confessoris: retineatur oratio propria.

g) Die 25 Maii: in festo S. Gregorii VII Papae et Confessoris: retineatur oratio propria.

h) Die 14 Octobris: in festo S. Callisti Papae et Martyris: retineatur oratio propria.

II – IN MISSALI

1. Si Missa sumenda sit de respectivo Communi: pro quocumque Pontifice sumatur nova Missa: *Si díligis me.*

2. Pro sequentibus vero festis haec adnotentur:

a) Die 16 Ianuarii: in festo S. Marcelli I Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me,* praeter primam orationem propriam.

b) Die 12 Martii: in festo S. Gregorii I Papae, Conf. et Eccl. Doct.: Missa: *Si díligis me,* praeter omnes orationes proprias et dicitur *Credo.*

c) Die 11 Aprilis: in festo S. Leonis I Papae, Conf. et Eccl. Doct.: Missa: *Si díligis me* et dicitur *Credo.*

d) Die 17 Aprilis: in festo S. Aniceti Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me.*

e) Die 22 Aprilis: in festo Ss. Soteris et Caii Pont. et Mart.: Missa: *Si díligis me,* adhibito in orationibus numero plurali.

f) Die 26 Aprilis: in festo Ss. Cleti et Marcellini Pont. et Mart.: Missa: *Si díligis me,* adhibito in orationibus numero plurali.

g) Die 5 Maii: in festo S. Pii V Papae et Confessoris: Missa: *Si díligis me,* praeter primam orationem propriam.

h) Die 19 Maii: in festo S. Petri Caelestini Papae et Confessoris: Missa: *Si díligis me,* praeter primam orationem propriam.

i) Die 25 Maii: in festo S. Gregorii VII Papae et Confessoris: Missa: *Si díligis me,* praeter primam orationem propriam.

l) Die 20 Iunii: in festo S. Silverii Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me.*

m) Die 3 Iulii: in festo S. Leonis II Papae et Confessoris: Missa: *Si díligis me.*

n) Die 2 Augusti: in festo S. Stephani I Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me.*

o) Die 14 Octobris: in festo S. Callisti I Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me,* praeter omnes orationes proprias.

p) Die 12 Novembris: in festo S. Martini I Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me.*

q) Die 19 Novembris: in festo S. Pontiani Papae et Martyris: Missa: *Si díligis me.*

r) Die 23 Novembris: in festo S. Clementis I Papae et Martyris: Missa de Communi unius Summi Pontificis praeter Introitum et Epistolam propriam.

s) Die 11 Decembris: in festo S. Damasi Papae et Confessoris: Missa: *Si díligis me.*

t) Die 31 Decembris: in festo S. Silvestri Papae et Confessoris: Missa: *Si díligis me.*

URBIS ET ORBIS

Sancta Mater Ecclesia Summos Romanos Pontifices peculiari semper prosequuta est honore, qui, dum Apostolicae Cathedrae iura strenue defenderunt, atque evangelicam veritatem totum per orbem diffuderunt, vitae quoque sanctitudine ac pretiosa morte fidelibus commissi sibi gregis facti sunt exemplar. Quod si inferorum portae omni tempore apostolicae petrae soliditatem vanis quidem, sed diuturnis saevis ac saepe cruentis tentaminibus aggressae sunt; hodiernis temporibus, negata quavis super naturalium rerum oeconomia, Ecclesiae hostes directe et ipsos Supremos Pastores livore suo impetere, pravisque dicteriis maculare impie conantur. Ut itaque his lacrimabilibus obvietur excessibus, atque Summorum Pontificum dignitas, eis divinitus collata, magis magisque honestetur, simulque ii inter ipsos, qui sanctitate fulserunt maiori veneratione colantur, Sanctissimus Dominus Noster, Dominus Pius Papa XII novum Commune in festo Sanctorum Summorum Pontificum conficiendum esse decrevit. Cum autem infrascriptus Cardinalis Carolus Salotti, Episcopus Praenestinus, S. R. C. Praefectus, in audientia diei 9 Ianuarii, confectum schema una cum lectionibus tertii nocturni, legendis in festo Summorum Pontificum, et additionibus et variationibus sive in missali sive in breviario romano ex hac nova concessione occurrentibus, Sanctissimo Domino obtulerit, Sanctitas Sua benigne illud approbavit et adhibendum mandavit in festo sive unius sive plurium Summorum Pontificum tam martyrum quam confessorum, qui propria missa in missali romano non gaudent. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, die 9 Ianuarii 1942.

✠ C. Card. SALOTTI, Ep. Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

DE LAMPADE SSMI SACRAMENTI ET DE LUMINIBUS IN SACRIS FUNCTIONIBUS ADHIBENDIS.

Sacra Rituum Congregatio, quoties ei contigit cavere de lampade quae ante Ssmum Sacramentum indesinenter lucere debet, semper abstinuit a concedendo per generale indultum usu lucis electricae, iugiter insistens traditionali legi de usu cerae apum et olei olivarum et, non exclusis, in casu necessitatis, aliis oleis (Decret. N. 4334): idque ut nostrae fidei et caritatis symbolica significatio servetur et, iuxta indolem cultus, visibilis materiae destructio. Porro haec S. Rituum Congregatio summam decretorum circa usum lucis electricae praebuit Decreto N. 4322 diei 24 Iunii 1914. At biennio post, id belli europaei conditionibus exquirentibus, et instantiis plurimorum Ordinariorum morem gerens, per Decretum N. 4334 diei 23 Februarii 1916 indultum temporaneum concessit quo, pro lampade Ssmi Sacramenti, ultimo loco adhiberi posset etiam lux electrica.

Iamvero nunc, praesenti bello perdurante atque redeuntibus iisdem adiunctis, haec S. Congregatio, auctoritate Summi Pontificis, derogans praescripto canonis 1271 C. I. C. et *Ritualis Romani,* tit. IV, c. I, n. 6, necnon huius S. Congregationis Decretis, inhaerens vero Decreto N. 4334 diei 23 Februarii 1916, rursus remittit Ordinariorum prudentiae ut, peculiaribus huius belli circumstantiis sive ordinariis sive extraordinariis perdurantibus, ubicumque oleum olivarum vel cera apum vel penitus deficiant vel sine gravi incommodo et dispendio haberi nequeant, ibi lampas Ssmi Sacramenti aliis oleis, quantum fieri potest vegetabilibus, nutriri possit, ultimo autem loco etiam lux electrica adhibeatur.

Item Ordinariorum prudentiae remittit, ut, praesentis belli supradictis adiunctis perdurantibus, in defectu cerae apum, reducatur numerus candelarum pro singulis sacris functionibus rite praescriptus, et huic deficientiae cereorum sufficiantur usque ad numerum requisitum candelarum alia lumina, etiam electrica. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 13 Martii 1942.

✠ C. Card. SALOTTI, Ep. Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

ACTA OFFICIORUM

DATARIA APOSTOLICA

INSTRUCTIO

DE OBSERVANDIS A REVMIS ORDINARIIS QUUM AB APOSTOLICA DATARIA COLLATIONEM PETANT BENEFICIORUM NON CONSISTORIALIUM, QUAE AD NORMAM IURIS APOSTOLICAE SEDI SINT RESERVATA VEL DEVOLUTA.

Diuturnus rerum usus vitandarumque quarundam consuetudinum necessitas, quas sensim irrepsisse atque adeo postremis annis invaluisse compertum est, Datariam Apostolicam edocuerunt opus omnino esse ut Revmis Curiis Episcopalibus opportunae tradantur normae, praeceptaque revocentur, quibus apte atque ad rem accommodate testimonialia documenta ipsae Curiae instruant, quum locorum Ordinarii in necessitate, e Codicis praescripto, se constitutos videant, recursum ad Summum Pontificem habendi, ut Beneficiorum non Consistorialium, quae Sanctae Sedi reservata sint aut devoluta, collationem consequantur.

Etenim qui in illud pro officii munere incumbunt ut nominationes ad reservata aut ad devoluta Beneficia, Pontificis Summi iussu ac nomine, curent, id passim dolendum reperiunt, non modo supplices libellos ad Datariam Apostolicam missos, destitutos frequenter esse tum noscendis ad Beneficiorum intelligendam naturam, tum documentis quae candidatorum examina exequenda vel revisenda spectent, tum iis demum universis, quae Bullis Apostolicis rite edendis opus sint, ex quibus Bullis nonnulla interdum particularia iura gigni compertum est; verum etiam maioris quoque momenti, et quae ad ipsum Pontificis Maximi ius pertineant, quaedam crebro propagari et diffundi.

Nam inter dioecesanas Curias non raro fit, ut oblivioni data Pontificiae reservationis essentia ac natura, quae in eo est, ut uni Summo Pontifici ius quaedam Beneficia libere conferendi competat, faciliore quadam ratione Romanum ipsae Pontificem adeant, Illius libertatem ad unius certi candidati nominationem circumscribentes; immo eo etiam aliquando deveniant ut Datariam Apostolicam de hoc tantum commoneant, nominationem iam esse factam, ideoque in nominati favorem Apostolicas Bullas mitti petant, perinde ac si de Beneficio ab Ordina-

rio conferendo, et per Sanctae Sedis ministerium solummodo expediendo res sit.

His incommodis ut congruum afferatur remedium, has quae sequuntur normas et instructiones Apostolica Dataria edendas existimavit; easque, habita prius sententia Patrum Datariae Apostolicae Theologorum, aliorumque praeterea in re canonica apprime peritorum, Summi Pontificis approbationi submisit. Cum autem Beatissimus Pater, illas non tantum ut opportunas laudaverit, sed ut utiles probaverit, Suprema Auctoritate Sua mandavit ut, typis editae, ad singulas Curias mittantur easque unaquaeque religiose servet; quod illud importat ut, quotiescumque cum Dataria Apostolica, quae eiusdem Sanctae Sedis proprium et peculiare Dicasterium est iis in omnibus quae ad beneficiorum non consistorialium collationem Summo Pontifici reservatorum aut devolutorum spectant, Curiae agant, normis ipsis semper ac fideliter inhaereant.

NORMAE

Quaedam in primis opportune praemittenda censentur:

1. – Reservationes Apostolicae, etsi a Codice I. C. ad tenuiorem numerum redactae sunt, tamen post promulgatum eundem Codicem *Legem Universalem* constituunt; id est, quae non certis tantum et definitis regionibus, uti antea, circumscriptae sint, sed totam omnino Ecclesiam amplectantur, salvo legitimo iure particulari.

2. – Apostolicae reservationi, liberae scilicet Summi Pontificis collationi, omnia et singula beneficia subiiciuntur de quibus in canonibus 396, § 1 [1] et 1435 [2] Codicis Iuris Canonici.

[1] *Can. 396, § 1*: « Collatio dignitatum tum in Capitulis Cathedralibus tum in Collegialibus Sedi Apostolicae reservatur ».

[2] *Can. 1435, § 1*: « (praeter omnia beneficia consistorialia et omnes dignitates Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum ad normam can. 396, § 1) sunt reservata Sedi Apostolicae quanquam vacanti, sola beneficia quae infra memorantur:

1° omnia beneficia, etiam curata, quae vacaverint per obitum, promotionem, renuntiationem vel translationem S. R. E. Cardinalium, Legatorum Romani Pontificis, Officialium Maiorum SS. Congregationum, Tribunalium et Officiorum Romanae Curiae et Familiarium, etiam honoris tantum, Summi Pontificis tempore vacationis beneficii;

2° quae fundata extra Romanam Curiam, vacaverint per beneficiarii obitum in ipsa Urbe;

3° quae invalide ob simoniae vitium collata fuerint;

4° denique beneficia quibus Romanus Pontifex, per se vel per suum delegatum, manus apposuerit his qui sequuntur modis: si electionem ad beneficium irritam declaraverit, vel vetuerit electores ad electionem procedere; si renuntiationem admiserit; si beneficiarium promoverit, transtulerit, beneficio privaverit; si beneficium in commendam dederit ».

3. – Ad Sanctam Sedem devolvuntur, ideoque a solo Pontifice Maximo conferri possunt, ea omnia beneficia quorum collatio spectat quidem ad Ordinarios, sed tempore utili, nempe « intra semestre ab habita certa vacationis notitia », ad normam can. 1432, § 3, effecta non sit, nisi peculiaria locorum atque personarum adiuncta, prudenti Ordinarii iudicio, si quando de beneficio paroeciali agatur, collationem differendam suadeant ad normam can. 458. De devolutione vero beneficiorum sine cura animarum cfr. interpretationem can. 1432, § 3 apud *Acta Apostolicae Sedis,* vol. XII, a. 1920, p. 577.

4. – Beneficia Sedi Apostolicae quomodocumque reservata ab inferioribus *invalide conferuntur* (can. 1434).

His praemissis, Revmi locorum Ordinarii suas monere Curias rogantur ut quoties a Summo Pontifice impetrare collationem beneficiorum Sanctae Sedi reservatorum aut devolutorum velint, ad Antistitem Maximum expressam petitionem mittant per litteras testimoniales *latine conscriptas et a Revmis Ordinariis subsignatas* : quae litterae, ut secure ad Pontificem Summum perveniant et sine mora expediantur, ad Emum Cardinalem S. R. E. Datarium (Palazzo della Dataria, Roma, via della Dataria, 94) mittendae erunt.

In huiusmodi litteris haec quae sequuntur contineri et patefieri debent :

1. – *a*) nomen et natura beneficii vacantis;

b) an illud sit *dignitas* (primi ordinis, an secundi vel tertii, etc.):

Can. 1435, § 2: « at nunquam sunt reservata, nisi id expresse dicatur, beneficia manualia, aut iurispatronatus laicalis vel mixti ».

Ex hoc § 2 consequitur :

beneficia *iurispatronatus ecclesiastici* esse omnibus reservationibus obnoxia;

beneficia manualia aut *iurispatronatus laicalis vel mixti,* etiam quae ad normam can. 1452 conferuntur per *electiones ac praesentationes populares,* licet paroecialia sint, per se non subiacere reservationibus Apostolicis;

et dicta beneficia (manualia, iurispatronatus laicalis vel mixti, et etiam ea quae per electiones populares conferantur) *tunc tantum esse reservata* cum expresse id statuatur, nimirum si ex. gr. fundator beneficii de consensu Ordinarii Loci declaraverit in limine fundationis beneficium subesse Apostolicis reservationibus; itemque si Romanus Pontifex in casu particulari, suprema qua pollet potestate, decreverit beneficium aliquod esse reservatum, derogans *in totum vel in partem* iuri patronatus, et illa sibi expresse reservaverit; derogans *in totum* si Romanus Pontifex collationem beneficii sibi modo explicito reservaverit. *sine ulla praesentatione vel electione ex parte patroni;* in *partem,* si Romanus Pontifex institutionem canonicam tantum sibi reservaverit, *praevia praesentatione vel electione* ab iis facienda, vel facta, ad quos pertinet, ut communiter accidit quando ex. gr. Romanus Pontifex ad aliud beneficium incompatibile promovet vel transfert beneficiarium qui beneficium possideat iurispatronatus laicalis vel mixti vel electionis popularis.

c) an sit simplex Canonicatus aut aliud beneficium chorale vel etiam non chorale, et quo nomine appelletur;

d) an curam animarum adnexam habeat; quonam sub titulo aut quonam Sancto Patrono vocetur; et utrum erectum existat in Urbe an alio in loco;

e) utrum beneficium sit liberae an necessariae collationis, idest an conferri debeat electione aut praesentatione praevia, et a quo peragenda;

f) an subiiciatur iuri patronatus; et an hoc sit ecclesiasticum, laicale vel mixtum.

2. – Quonam ex tempore beneficium vacet, scilicet quo die, quo mense, quo anno beneficium vacans factum sit.

3. – Modus vacationis quis sit:

a) an per mortem; et utrum per mortem in ipsa Urbe (cfr. can. 1435, § 1. n. 2), an extra Urbem;

b) num per renuntiationem, eamque factam in manus Ordinarii an Papae;

c) utrum per promotionem an per translationem, et utrum promotio vel translatio peracta fuerit ab Ordinario an a Romano Pontifice;

d) utrum per privationem factam ab Ordinario, an a Papa.

4. – Quinam sit annuus beneficii reditus, et utrum certus an incertus: idest: una cum distributionibus si agatur de beneficio chorali, vel una cum incertis si agatur de beneficio cui animarum cura adnexa sit.

5. – *a*) nomen et cognomen candidati vel candidatorum eorumque parentum;

b) locus et dies nativitatis;

c) curriculum vitae, studia peracta, tituli academici, mores, animi indoles, officia exercita et servitia praestita.

6. – An candidatus possideat aliud beneficium et cuiusnam naturae.

7. – An candidatus pertinuerit ad aliquem Ordinem Religiosum, Congregationem aut Institutum; an rite dimissus fuerit vel *saecularizationis* indultum obtinuerit et quando; an alicui Dioecesi sit incardinatus. Hac de re accurate significandum erit quis sit Ordo, quae Congregatio, quod Institutum cui candidatus adscriptus fuerit, an in iis vota perpetua nuncuparit, et quis horum exitus; ac praeterea declarandum, an in iis vota saltem temporaria, aut iusiurandum perseverantiae aut alias promissiones ad normam Constitutionum illius Ordinis, Congregationis vel Instituti emiserit, et an ab iisdem legitime dispensatus sit, si per sex integros annos eisdem ligatus fuerit (can. 642, § 2; Pont. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos, 24 Novembris 1920; *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XII, p. 575).

8. – Quum agatur de beneficio legi concursus obnoxio ad normam can. 399, § 2 et can. 459, § 3, n. 4 significetur an concursus fuerit rite indictus ac legitime habitus. Deinde ad Apostolicam Datariam diligenter remittantur vota seu suffragia quae singuli candidati consecuti sint, in iis quae spectant ad scientiam et ad idoneitatem sive absolutam sive relativam, tam coniunctim quam distincte, una cum curriculo vitae, ut supra. Acta vero concursus asservari debent apud Curiam ut quandocumque Dataria Apostolica petat, mitti possint.

Ad concursum quod attinet, haec ulterius sedulo sunt attendenda :

1° Si agatur de beneficio cum cura animarum, concursus habendus est ad normam Constitutionis Pontificiae Benedicti XIV *Cum illud*, 14 Decembris 1742 (in calce Codicis I. C. allegatae), inspectis praesertim numeris : 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, § 7^um^, et numeris 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, § 16^um^ eiusdem Constitutionis.

2° Si autem agatur de Praebenda Theologali vel Poenitentiaria, concursus habendus est non solum ad normam Constitutionis *Cum illud*, sed etiam ad normam Constitutionis *Pastoralis Officii* Benedicti XIII, 19 Maii 1725; circa quam advertendum est, eam praescribere *non tres sed quatuor examinatores*, ac propterea in concursu *quatuor quaestiones* esse ad solvendum proponendas; et si agatur de Canonicatu Theologali, quaestiones praesertim de Theologia Dogmatica et de Sacra Scriptura esse debere.

9. – Ut a Sancta Sede dispensatio a lege concursus detur, graves rationes quae Summo Pontifici exponendae sunt requiruntur.

10. – Quod spectat ad Canonicatum Theologalem aut ad aliud beneficium *cui onus incumbat Sacrae Scripturae populo explicandae*, commemorare praestat, *vigore Rescripti ex audientia Ssmi diei 8 Aprilis 1940* (*Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXXII, p. 163), Lauream vel Licentiam in Re Biblica iam non requiri; sed coeteris paribus, eum, etiam Doctori in S. Theologia (de quo in can. 399, § 1) esse praeferendum qui Laurea vel Licentia in Re Biblica insignitus sit.

11. – Ut Summus Pontifex, quum agitur de beneficiis legi concursus non subiectis, libere eos eligere possit quos in Domino magis idoneos et digniores existimet, Revmae locorum Curiae tenentur *nomina suppeditare omnium Sacerdotum* qui, vacatione beneficii rite nunciata, supplicem libellum miserint ut sibi conferatur; vel, si nemo beneficium optaverit, significare debent *saltem tria nomina*, quatenus fieri possit, inter digniores, ad normam epistolae circularis Datariae Apostolicae diei 11 Novembris 1930, quae legitur in *Actis Apostolicae Sedis*, vol. XXII,

p. 525; quae epistola expresse hac occasione confirmatur atque uti religiose servanda edicitur.

12. – Attamen de quocumque beneficio agatur, et praesertim si res sit de beneficio cum cura animarum, semper necesse est ut Revmi Ordinarii manifestent quem candidatum coram Deo digniorem ac magis idoneum iudicent: cuius sententiae Romanus Pontifex, pro sua sapientia et prout in Domino expedire iudicet, benigne solet opportunam rationem habere.

13. – Tandem Revmis Curiis in memoriam revocatur, taxas pro Bullarum Apostolicarum concessione *ad obolum Sancti Petri unice atque integre destinari,* easque ad hoc solummodo exigi, ut consulatur gravissimis necessitatibus in quibus ipsa Sancta Sedes magis magisque in dies versari compertum est. Quapropter Revmi Ordinarii rogantur ut, in Ecclesiae Sanctaeque Sedis bonum, a postulationibus mittendis vel commendandis, eo directis ut huiusmodi taxae aut condonentur aut reducantur, reverenter abstineant, peculiaribus circumstantiis exceptis, quas, si adsint, pro sua conscientia accurate exponant opus est.

Datum ex Aedibus Datariae Apostolicae, die 1 Ianuarii a. 1942.

F. Card. Tedeschini, *S. R. E. Datarius.*

I. Guerri, *Subdatarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri segreti soprannumerari di S. S.:

13 marzo 1941. Monsig. Vittorio Zakrajšek, dell'archidiocesi di Zagabria.
8 maggio » Monsig. Andrea Boyer Mas, della diocesi di Carcassona.
2 giugno » Monsig. Nicola Vitucci, dell'archidiocesi di Bari.
» » » Monsig. Emireno Marinelli, della diocesi suburbicaria di Albano.
2 ottobre » Monsig. Leo Giuseppe Suenes, dell'archidiocesi di Malines.
23 novembre » Monsig. Pasquale Vito, della diocesi di Calvi.
25 » » Monsig. Egidio Giulietti, dell'archidiocesi di Perugia.
» » » Monsig. Vincenzo Marinacci, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Canzio Pizzoni, della medesima archidiocesi.
30 » » Monsig. Giuseppe Lepori, dell'archidiocesi di Cagliari.
» » » Monsig. Roberto Simonazzi, della diocesi di Parma.
9 dicembre » Monsig. Fidaledelfio Conforto, della diocesi di Patti.
» » » Monsig. Vincenzo Briscese, della diocesi di Venosa.
» » » Monsig. Ferruccio Casabianca, della diocesi di Luni.
» » » Monsig. Lorenzo Brandstaetter, della diocesi di Secovia.
» » » Monsig. Domenico Gallucci, dell'archidiocesi di Acerenza e Matera.
» » » Monsig. Edoardo R. Gaffney, dell'archidiocesi di Nuova York.
16 » » Monsig. Giovanni Muini, della diocesi di Modigliana.
» » » Monsig. Pasquale Funtò (Roma).
20 » » Monsig. Paolo Rossi, della diocesi di Ascoli Piceno.
» » » Monsig. Luigi Sebastiani, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Flaminio Vecchi, dell'archidiocesi di Modena.
» » » Monsig. Rocco Vilardi, dell'archidiocesi di Reggio Calabria.
» » » Monsig. Carmelo Curmaci, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Umberto Bambagini, della diocesi di Montepulciano.
8 gennaio 1942. Monsig. Luigi Pastore, della diocesi di Acqui.
» » » Monsig. Pompilio Mandrelli, della diocesi di Città di Castello.
» » » Monsig. Gaetano De Nicola, dell'archidiocesi di Sorrento.
» » » Monsig. Paolo Argenteri, della diocesi di Alessandria.

8 gennaio 1942. Monsig. Stefano Lazzari, della diocesi di Cremona.
» » » Monsig. Giacomo I. Grady, della diocesi di Savannah-Atlanta.
» » » Monsig. Giuseppe C. Cassidy, della medesima diocesi.
22 » » Monsig. Tommaso Bosci, della diocesi di Como.
» » » Monsig. Salvatore De Francisci, della diocesi di Caltagirone.
» » » Monsig. Saverio Alì, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Ireneo Fazzi, della diocesi di Cremona.
» » » Monsig. Virginio Balbi, della diocesi di Tortona.
» » » Monsig. Giovanni Botti, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Domenico Artana, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Francesco Piccoli, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Francesco Gugliada, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Silvio Segatini, dell'archidiocesi di Trento.
29 » » Monsig. Angelo Romagnoli, dell'archidiocesi di Bologna.
» » » Monsig. Domenico Bruzzi, della medesima archidiocesi.

Camerieri segreti soprannumerari di spada e cappa di S. S.:

27 giugno 1940. Il sig. Giovanni Ranieri dei Marchesi di Sorbello (Roma).
22 gennaio 1942. Il sig. Cesare dei Conti Bernetti Evangelista (Roma).
» » » Il sig. Don Roberto Lucchesi Palli, Duca della Grazia, della diocesi di Verona.
» » » Il sig. Conte Giovanni Battista Baldelli Boni, della diocesi di Cortona.
» » » Il sig. Conte Mario Gori Mazzoleni (Roma).

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

30 novembre 1941. Monsig. Giovanni Ceroni della diocesi di Faenza.
» » » Monsig. Pietro Amadei, della medesima diocesi.
9 dicembre » Monsig. Giuseppe Merlini, della diocesi di Volterra.
» » » Monsig. Giovanni Mancini, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Davide Dasso, della diocesi di Luni.
» » » Monsig. Giovanni B. Bianchenotti, della medesima diocesi.
8 gennaio 1942. Monsig. Durante Tosi, della diocesi di Sarsina.
22 » » Monsig. Antonio Chiaromonte (Roma).

Camerieri d'onore soprannumerari di spada e cappa di S. S.:

8 maggio 1941. Il sig. Paolo Battaglia, della diocesi di Mondovì.
» » » Il sig. Andrea Battaglia, della medesima diocesi.

Cappellano d'onore extra Urbem *di S. S.:*

8 gennaio 1942. Monsig. Giuseppe Cselényi, della diocesi di Vacia.

CODEX IURIS CANONICI

PII X PONTIFICIS MAXIMI iussu digestus, **BENEDICTI PAPAE XV** auctoritate promulgatus, praefatione Emi Petri Card. Gasparri et indice analytico-alphabetico auctus.

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
— (T) **Editio in-32°** (cm. 8×12), charta subtili non translucida; fol. LXVIII-939. *Linteo contectum*	21 —	21,50	22,50
— (A) **Editio in-18°** (cm. 9½×15), charta subtili non translucida; fol. LXXII-918	12 —	13 —	14 —
— (B) *Linteo contectum, angulis rotundatis*	16 —	17,50	19 —
— (C) **Editio in-18°** (cm. 9×14), charta indica; fol. LXXII-918. – *Linteo contectum*	20 —	21,50	22,50
— (E) **Editio in-12°** (cm. 12½×19½); fol. XLIV-854	15 —	16,50	20,50
— (F) *Linteo contectum, angulis rotundatis*	22 —	23,50	27,50
— (P) *Volumen partim corio, partim linteo contectum*	30 —	31,50	35,50
— (L) **Editio in-12° cum Fontium annotatione** (cm. 12 ½×19 ½), fol. XLVIII-932; charta indica (in fogli piegati)	30 —	31,50	35 —
— (M) Idem, charta indica, *linteo contectum*	37 —	38,50	42 —
— (R) *Volumen partim corio, partim linteo contectum*	45 —	46,50	50 —
— (O) **Editio in-8° cum Fontium annotatione** (cm. 16 ½×26), charta crassiore; fol. XLVII-784	40 —	43 —	50 —
— (S) *Volumen partim corio, partim linteo contectum*	60 —	63 —	70 —

CODICIS IURIS CANONICI FONTES, cura Emi Petri Card. Gasparri, in-8°.

Vol. I. **Concilia generalia - Romani Pontifices,** usque ad annum 1745 (n. 1-364), pp. XVI-954	65 —	68 —	75 —
» II. **Romani Pontifices,** ab anno 1746 ad annum 1885 (n. 365-544), pp. XII-1012	70 —	73 —	80 —
» III. **Romani Pontifices,** ab anno 1867 ad annum 1917 (n. 545-713), pp. XII-870	65 —	68 —	75 —
» IV. **Curia Romana,** S. C. S. Off. – S. C. Ep. et Reg. (n. 714-2055), pp. XXXII-1117	85 —	88,50	97 —
» V. **Curia Romana,** S. C. Consistorialis - S. C. de Sacramentis - S. C. Concilii (n. 2056-3704), pp. XL-1116	85 —	88,50	97 —
» VI. **Curia Romana,** S. C. Concilii, an. 1761-1917 - S. C. super statu Regul. - S. C. de Religiosis (n. 3705-4427) pp. XX-1034	80 —	83,50	92 —
» VII. **Curia Romana,** S. C. de Propaganda Fide – S. C. Indulg. - S. C. Indicis – S. R. C. – An. 1588-1790 (n. 4428-5822) pp. XXXVI-1060	80 —	83,50	92 —
» VIII. **Curia Romana,** cura et studio Emi Iustiniani Cardinalis Serédi editi (n. 5823-6464). In-8°, pp. XX-620	65 —	68 —	72 —
» IX. **Tabellae,** pp. XXVIII-311	40 —	42 —	45 —

Legati in pelle e tela nera (o rossa) con punte di pelle, testa rossa lucida, titolo, nervi al dorso, ciascun volume aumenta di L. 25.

CODICIS IURIS CANONICI INTERPRETATIONES AUTHENTICAE seu responsa a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos ab anno 1917 ad annum 1935 data, et in unum collecta atque Romanorum Pontificum actis et Romanae Curiae decisionibus aucta (pag. VIII-228), addita *Appendice* ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38)

	12 -	13 —	14,50
— *Linteo contectum*	19 —	20 —	21,50
— **Appendix,** ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38), in-8°	2 —	2,50	3 —

ACACIUS COUSSA. **EPITOME PRAELECTIONUM DE IURE ECCLESIASTICO ORIENTALI.** – Vol. I. Introductio. De ritibus orientalibus. De fontibus existendi iuris. De sacra hierarchia. In-8°. Pp. XVI-245 — 50 — 52 — 55 —

— Vol. II. De Monachis et de aliis religiosis recentioris institutionis; De laicis. Pp. XXII-173 — 25 — 27 — 30 —

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "**Acta Apostolicae Sedis**„
(*Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/₀ postale N. 1-16722*)

CODIFICAZIONE CANONICA ORIENTALE – FONTI

SERIE I

		Roma L.	Italia L.	Estero L.
Fasc. I.	**Testi vari di diritto nuovo** (1550-1902) – Parte prima	25 —	28 —	36 —
» II.	**Testi vari di diritto nuovo** (1550-1902) – Parte seconda	25 —	28 —	36 —
» III.	**Disciplina antiochena** (Siri): I. **Nomocanone di Bar-Hebreo**	10 —	13 —	15 —
» IV.	**Disciplina caldea:** I. **Droit ancien: Synodes** (Synodicon orientale); Collectio canonum synodicorum d'Ebedjésus de Nisibe	15 —	18 —	22 —
» V.	**Disciplina alessandrina** (Etiopi): Testi di diritto antichi e moderni riguardanti gli Etiopi	25 —	28 —	33 —
» VI.	**Disciplina alessandrina:** Testi di diritto antichi riguardanti gli Etiopi	25 —	28 —	33 —
» VII.	**Disciplina armena:** Testi vari di diritto canonico armeno (Secoli IV-XVII)	25 —	28 —	36 —
» VIII.	**Studi storici sulle fonti del Diritto canonico orientale**	50 —	55 —	60 —
» IX.	**Disciplina generale antica** (sec. II-IX)	25 —	28 —	36 —
» X.	**Disciplina bizantina** (Rumeni): Testi di diritto particolare dei Rumeni	45 —	50 —	55 —
» XI.	**Disciplina bizantina** (Ruteni): Testi di diritto particolare dei Ruteni	55 —	60 —	65 —
» XII.	**Disciplina antiochena** (Maroniti): Testi di diritto particolare dei Maroniti	65 —	70 —	75 —
» XIII.	**Disciplina antiochena** (Maroniti): I. Ius particulare Maronitarum: A) Textus iuris non approbati. *Paratur*	—	—	—
» XIV.	**Disciplina antiochena** (Maroniti): II. Ius particulare religiosorum. *Paratur*	—	—	—
» XV.	**Discipline byzantine** (Melkites): Droit particulier des Melkites. – Première partie: Textes du droit approuvé	25 —	28 —	36 —
» XVI.	**Discipline byzantine** (Melkites): Droit particulier des Melkites. – Deuxième partie: Textes du droit non approuvé. *Sub prelo*	—	—	—

CODIFICAZIONE CANONICA ORIENTALE - FONTI

SERIE II

Fasc.	I. **Textes législatifs touchant le cénobitisme égyptien**	10 —	11 —	12 —
»	III. **Patriarchatus constantinopolitani acta selecta.** I.	60 —	62 —	65 —
»	V. **Textus selecti ex operibus commentatorum byzantinorum iuris ecclesiastici**	30 —	31,50	33 —
»	VI. **De fontibus iuris ecclesiastici russorum** commentarius historico-canonicus	10 —	11 —	12 —
»	VIII. **De fontibus iuris ecclesiastici syro-malankarensium** commentarius historico-canonicus	10 —	11 —	12 —
»	IX. **Fontes iuris canonici syro-malankarensium**	60 —	62 —	66 —
»	XII. **Disciplina armena.** Monachismo. Studio storico-canonico e fonti canoniche	40 —	41,50	46 —
»	XV. **Caldei. Diritto antico.** II. **"Ordo iudiciorum ecclesiasticorum"** collectus, dispositus, ordinatus et compositus a Mar 'Abdiso' Metropolita Nisibis et Armeniae	60 —	61,50	65 —
»	XVI. **Caldei. Diritto antico.** III. **« Liber Patrum »**	10 —	10,50	11 —
»	XXI. **Disciplina armena. Canones apostolici.** Testo armeno con versione italiana e apparato critico	40 —	41,50	44 —
»	XXVII. **Disciplina antiochena** (Siri): Textes concernant les Sacrements	75 —	77 —	81 —

Ufficio e Messa « Commune unius aut plurium Summorum Pontificum » approvati dalla S. C. dei Riti con decreto del 9 gennaio 1942, pubblicati negli « Acta Apostolicae Sedis » il 13 aprile, fascicolo num. 4:

Officium. In-18°, rosso e nero, carta indiana, grandezza della pagina cm. 7×12, nei margini cm. 19×12,5	0,80	0,80	0,85
Missa. In-4°, rosso e nero, grandezza della pagina cm. 14,5×22,5, nei margini cm. 22,5×32	0,60	0,60	0,80

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"**
(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/c postale N. 1-16722)